

§ 140 descriptum suspendunt, qui assandi modus verbo *سكب* *cru-*  
*cifixit* exprimitur. » Haec quidem de Agno Paschali.

Denique quod pertinet ad sacrificium *capri emissarii* clarum est per illum ritum expiatorium Christi sacrificium fuisse praefiguratum. Audiendus iterum est S. Thomas in citato Art. 5 ad 6<sup>o</sup> ubi totum ritum expiationis Lev. XVI descriptum exponit. Postquam literalem rationem, uti ait, huius multiplicis sacrificii, nempe vituli, arietis et duorum hircorum qui in magno die expiationis immolandi erant declaravit, addit allegoricam eorum significationem ita: « Ratio autem figuralis horum erat, quia Christus significatur et per *vitulum* propter virtutem, et per *arietem* quia ipse est dux fidelium, et per *hircum* propter *similitudinem carnis peccati*; et ipse Christus est immolatus pro peccatis et Sacerdotum et populi, quia per eius Passionem et maiores et minores a peccato mundantur. *Sanguis autem vituli et hirci* inferitur *in sancta per Pontificem*, quia per Sanguinem Passionis Christi patet nobis introitus in regnum coelorum; *comburantur autem eorum corpora extra castra*, quia extra portam Christus passus est, ut Apostolus dicit Hebr. ult. Per hircum autem qui emittebatur, potest significari vel ipsa divinitas Christi, quae in solitudinem abiit homine Christo patiente, non quidem locum mutans, sed virtutem cohibens; vel significatur concupiscentia mala, quam debemus a nobis abicere, virtuosos autem motus Domino immolare. » Posset tamen congrue accipi et hic alter hircus emissarius ut typus Christi peccata omnium expiantis quod clare indicat coereonia illa qua Pontifex: « Posita utraque manu super caput eius confletur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta ac peccata eorum, quae imprecans capiti eius, emittit illum per hominem paratum, in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam et dimisiss fuerit in deserto, revertetur Aaron in tabernaculum Testimonii etc. » Lev. XVI, 21 seqq. Ad quem ritum alludere videtur Isaias cum de futura Christi expiatoria morte loquens ait: « Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et *posuit Dominus in eo* (Christo) *iniquitatem omnium nostrum* » Is. LIII, 6.

#### IV. Obiectionum quarundam solutio

Plures difficultates quae a Rationalistis afferri solent contra sensum mystico-allegoricum merito praetermitti possunt utpote quae in falsis suppositionibus, et Rationalismi praedudiciis unice fundantur, ut est ex. gr. illud quod aiunt persuasionem de mystico sensu fuisse praedudicium ac superstitionem Iudaeorum, cui tamen Christus et Apostoli sese accommodarunt, ut eos facilius ad partes Evangelii pertraherent: ita Semlerus alique fautores systematis accommodationis quod suo loco refutabimus. Tale etiam est alterum quod afferunt, typos allegoricos impossibiles esse, quia prophetiam involvunt, cuius possibilitatem non minus absurde quam impie negant. His itaque praetermissis, sequentes obiectiones expendemus quae aliquam difficultatis speciem praeseferunt.

Obiic. 1<sup>o</sup> Ille sensus in Scripturis admittendus non est qui est alienus a communi hominum loquendi ratione. Scriptura enim more humano conscripta est. Atqui mysticus sensus, quo scilicet res non per verba sed per alias res significantur, in humano sermone nunquam occurrit. Ergo in Scripturis admittendus non est.

Resp. *Distinguo* mai. Non est admittendus sensus alienus a more loquendi hominum, quantum pertinet ad modum res significandi per sermonem seu per verba *Concedo*, ad exclusionem alterius modi qui priori non repugnat, sed eum supponit, in eoque fundatur *Nego*.

Ad minorem *distinguo*, sensus mysticus propheticus et allegoricus ab hominibus nunquam usurpatur *Concedo*, sensus mysticus universim acceptus *Nego* vel *Transeat*. Quando dicimus Scripturam more humano exaratam fuisse id certe intelligimus de sensu eius literali qui per verba iuxta communem eorum significationem accepta, idest iuxta usum loquendi illius gentis et illius aetatis unde sacer liber prodiit procul dubio adhibitus est. Secus enim homines Scripturam legentes eius sensum intelligere non potuissent. Verum hoc non excludit alium modum quo Spiritus Sanctus aliqua significare poterit, in eorum signum acceptis non verbis sed rebus antea per verba designatis. Hoc enim salva lege usus loquendi a Deo fieri potuit, dummodo sufficienter manifestaverit hosce occultos sensus, quemadmodum revera manifestavit, prae-



sertim per hagiographos N. T.: quae quidem manifestatio et ipsa facta est per verba iuxta humanum loquendi usum adhibita. Caeterum minorem etiam propositionem distinguendam esse duximus, nam undequaque vera non est. Si sermo sit de sensu mystico prophetico, illum ab hominibus non usurpari verissimum est, non tamen praecise ob naturam humani sermonis, sed eo quod homines futura non cognoscunt quae possint per alias res designare. Si vero de aliis speciebus mystici sensus loquamur non repugnat etiam homines non inspiratos aut profanos scriptores illis aliquando uti: quod quidem alienum non est ab indole scriptorum Orientalium, quare in scriptis Arabum non raro occurrunt exempla sensuum moralium vel historicorum aut etiam anagogicorum per aliquas actiones vel res adumbratorum. Apud ipsos scriptores romanos exemplum occurrit apud Titum Livium Lib. I Cap. 54 in narratione de Tarquinio Superbo summa papaverum capita virga praecedente, quo significare voluit quomodo filio suo cum Gabiorum principibus agendum esset. Quod autem non inveniatur apud istos auctores typi prophetici et allegorici, hoc ex Dei dispensatione factum est qui res et personas ad aliquid aliud significandum destinatas non ex aliis gentibus sed ex populo iudaico assumpsit ob altissimum consilium suae sapientiae quo voluit hunc populum eiusque historiam ac legem esse praeparationem ac veluti viam ad legem novam novamque ecclesiam a Christo constituendam. Si vero in raris quibusdam casibus aliqua etiam res vel persona apud Gentiles extitit, cui Deus mysticam huiusmodi significationem concessit, ut ex. gr. Melchisedech rex Salem, aut Cyrus rex Persarum, haec tamen Gentilium scriptoribus non innouit, qui propterea non potuerunt typicam istam significationem in suis scriptis intendere; nec dici potest eam fuisse a Deo intentam in eorum scriptis, quia minime Deo inspirante scripserunt, nec Deus dici potest eorum librorum auctor.

Obiic. 2.<sup>o</sup> Si mysticus sensus fuisset revera ab auctore Scripturae intentus, hic saltem debuisset illum lectoribus patefacere. Atqui hoc in Scriptura non fit: ita ex. gr. cum Moyses narrat historiam Abrahami eiusque uxorum ac filiorum, nullum prorsus indicium praebet de mystica significatione duplicis Testamenti quae illi historiae subesse dicitur. Ergo etc.

Resp. ad maiorem distinguo: sensum mysticum patefacere debuisset ipse auctor secundarius, seu hagiographus *Nego*, Auctor primarius, seu Spiritus Sanctus, *subdistinguo*. Debuisset patefacere in eodem loco ubi habetur typus, et pro lectoribus immediatis eiusdem loci ac libri *Nego*, suo tempore et loco *Concedo*: et contradistincta minore *nego* consequens.

Sane nulla prorsus necessitas erat ut singuli hagiographi intellexerent omnes mysticas significationes rerum de quibus scribebant; sed satis erat ut Spiritus Sanctus sensus illos destinaret et intenderet: cum autem Spiritus Sanctus sit vere auctor Scripturae, sensus isti sunt vere Scripturae sensus, seu mens auctoris, etiamsi ab hagiographis intellecti non fuerint. Nec etiam necessarium fuit ut Spiritus Sanctus vel hagiographus indicarent statim hosce mysticos sensus ita ut primi et immediati Sacrorum Librorum lectores eos intellexerent, sed poterat haec intelligentia reservari futuris lectoribus a sequentibus hagiographis puta N. T. opportune ea de re monendis. Haec autem non solum fieri potuisse, sed et facta esse, multa sunt quae suadent. Imprimis enim ipsi Hagiographi aliquando fatentur sibi negatam fuisse intelligentiam propheticae eorum quae scribebant. Ita Ieremias fatetur Cap. XXXIII. 20 et XXX. 24 ubi bis repetitur: « in novissimis diebus intelligetis consilium eius (Domini), in novissimo dierum intelligetis ea. » Item Exechiel XXXIII. 33: « Et cum venerit quod praedictum est (Ecce enim venit) tunc scient quod Prophetes fuerit inter eos. » Clarius Daniel id insinuat variis in locis: ex. gr. in Cap. VII. post visionem quatuor bestiarum, et explicationem sibi datam de quatuor regnis non satis ea intellexisse propheta indicat vers. 28 inquit: « Hucusque finis verbi. Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, et facies mea mutata est in me: verbum autem in corde meo conservavi » et in Cap. XII. 8 et 9 post auditam praedictionem de futuris Iudaeorum sortibus subiungit: « Et ego audivi, et non intellexi. Et dixi: Domine mi quid erit post haec? et ait: Vade Daniel, quia *clausi sunt signatique sermones usque ad praesentium tempus.* » Scilicet eorum sensus et intelligentia nec prophetarum nec Iudaeis tunc viventibus concessa fuit, sed ad aliud tempus reservata. Caeterum iis potissimum erat reservandus mysticorum sensuum intellectus, pro quibus praecipue ipsi typi prophetici instituti



fueraut, nobis scilicet, qui spectatores veritatis facti ex umbris et figuris quae praecesserunt argumentum sumimus pro divina Christianae Religionis origine tum ad nostram fidem confirmandam, tum ad eius adversarios facilius convincendos, vel confundendos. Et ad hoc alludere videtur S. Petrus ubi de Prophetis antiquae Legis scribit 1 Pet. I, 11 et 12: «Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: praenunciens eas quae in Christo sunt passiones, et posteriores glorias, quibus revelatum est quia non *sibimetipsis, vobis autem* ministrabant ea quae nunc nunciata sunt vobis per eos qui evangelizaverint vobis, Spiritu Sancto misso de coelo, in quem desiderant angeli prospicere: » et ipse Daniel in citato Cap. XII semel atque iterum repetit sermones propheticos, et librum clausos et signatos fore *usque ad tempus statutum, usque ad praefinitum tempus*, quo nomine intelligere datur novissimum tempus, seu Messiae, ut satis clare indicatur etiam in fine capituli illius verbis: «Beatus qui expectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque: tu autem vade ad praefinitum: et requiesces et stabis in sorte tua in finem dierum.»

Obiic. 3<sup>o</sup> Admissa doctrina de typis sequeretur homines etiam impios, et pravos eorum actus veluti typos hominum sanctissimorum et mysteriorum Christi Domini haberi posse quemadmodum revera Catholici faciunt. Atqui hoc valde inconveniens est. Ergo etc.

Resp. *Distinguo mai.* Sequeretur homines malos et pravos actus typos Christi fuisse, formaliter acceptos quatenus mali sunt *negotio*: materialiter et in sensu diviso malitiae vel pravitatis *concedo* vel *transeat*. Et contradistincta minore *negotio* cons.

Certe inconveniens esset hominem aliquem malum vel eius malum actum sub eo respectu quo malus est Christum vel aliquid aliud Sanctum significasse. Nullum autem inconveniens in eo apparet quod aliquis actus bonus ac honestus hominis alioquin mali significationem illam mysticam adnexam habuerit. Porro hoc tantum fit in paucis illis casibus ad quos adversarii alludunt. Sic ex. gr. Samson typus Christi fuit non in iis actibus qui reprehensione digni videntur, sed in eo quod Nazaraeus esset, et simul fortissimus populi liberator ab oppressione Philistinorum. Ita etiam Ionas typus Christi mortui et resurgentis fuit non quatenus inobediens erat et a facie Domini fugiebat, sed quatenus divina dis-

positione fuit tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti, et inde vivus et illaesus exivit. Ita denique Cyrus typus Christi redemptoris extitit, non quatenus infidelis, sed quatenus liberator Iudaeorum. Diximus autem *transeat*, quia huiusmodi typi admodum pauci sunt, et etiamsi concederetur adversariis eos non existere remanerent alii multo plures de quibus obiectio non valet, cum res ac personae honestae ac sanctae fuerint.

Obiic. 4<sup>o</sup> Admissa doctrina de existentia sensus mystici in SS. Scripturis latissimus aperitur campus interpretum licentiae ipsis Scripturis quoslibet sensus suo cuiusque ingenio ac imaginatione confictos tribuendi. Quod quidem confirmatur ex facto veterum interpretum, quorum plurimi omnia fere Scripturae loca mystice exposuerunt, ac sensus a mente auctorum alienissimos passim invexerunt.

Resp. *dist. mai.* Nisi adsint certae ac definitae regulae quibus mysticus sensus vere ab auctore intentus discerni possit *Concedo*. Si autem adsint *Nego*. Quatenus sint istae regulae videbimus in sequenti Thesi. Interim vero dicimus positus hisce regulis seu criteriis inconveniens illud ab adversariis adductum facile removeri: non enim cuique licebit quocumque in loco sensum mysticum supponere, sed in iis tantum, in quibus eius existentia ope earumdem regularum demonstrari possit, in caeteris autem non licebit, cum de re facti agatur, quae, nisi probetur, non est admittenda. Ad id vero quod addebant de veteribus interpretibus ac doctoribus, respondemus eos plerumque non tradidisse suas mysticas interpretationes, tanquam veros Scripturae sensus, sed, supposito vero sensu, alios praeterea addere solitos fuisse per quamdam accommodationem et analogiam cum rebus in Scriptura memoratis iuxta consuetudinem tunc temporis receptam, et ad scopum non quidem probandi dogmata, vel haereticos refellendi, sed aedificandi fideles et pietatem in iis fovendi. Hinc huiusmodi expositiones non in dogmaticis vel polemicis Patrum et Theologorum libris occurrunt, sed potius in homilias et in moralibus vel asceticis tractatibus, ut alias animadvertimus. Coeterum si qui ex veteribus modum in hac re non tenuerunt, recolendum est abusum alicuius doctrinae ex parte quorundam nullo iure adversus ipsius doctrinae veritatem retorqueri posse.



Obiic. 3<sup>o</sup> Patrum auctoritas non potest adduci pro sententia mystici sensus, quinimo contra eam adduci potest. Sane si multi Patres pro mystica interpretatione steterunt, alii tamen vehementer illi adversati sunt. Huc pertinent illi et numero et auctoritate insignes qui allegoricam interpretationis methodum in Origene carpebant, de quibus ipse Origenes conqueritur Hom. XIII in Gen. § 3. Alios quoque fuisse mystici sensus adversarios discimus ex testimonio Hilarii (in ps. 120 § 13, 124 § 1, 125 § 1 et 2, 131 § 10.) Hieronymi (Com. in Gal. IV. 16-18) et Augustini (De Civ. Dei Lib. 17 Cap. III). Denique aperta testimonia contra mysticum sensum praebent Auctor Recognitionum Lib. X Cap. 42 ubi docet non oportere verbis legis alios sensus occultos affingit praeter id quod significant, et reprobendam esse allegoricam expositionem, quae in Mythologis et fabulis poetarum interpretandis adhiberi solebat (lib. § 30 seqq.). Item Methodius Antiochenus in Conv. Decem Virginum orat. III. laudat Theophilum eo nomine quod prudenter verba Scripturae intelligeret prout sonant. Et S. Basilus Hom. IX in Examer. § 1. damnat eos qui *interpretationis praetextu commenta sua inducunt* in verba Scripturae, et concludit: « Itaque prout scripta sunt intelligantur » denique Clemens Alex. mysticam Scripturarum expositionem symbolicis Aegyptiorum aenigmatibus comparat in lib. V Stromat. § 4.

Resp. Breviter testimonia adducta nostrae Thesi non repugnare vel enim ad rem non pertinent, vel abusum tantum mysticae interpretationis damnant non autem ipsum mysticum sensum absolute excludunt. Sane Patres illi qui Origenem insectantur ob eius interpretandi methodum non reprehendunt in illo quod typos et figuras in Scripturis viderit ubi revera sunt, sed quod nimius in hoc fuerit et saepe praetermisso historico sensu absque sufficienti ratione allegoricum induxerit, ut alio loco vidimus. Tantum autem abest quominus omnem mysticum sensum negaverint, ut ipsi pro data opportunitate plura in veteri Lege mystice et allegorice intellexerint: ita Hieronymus, Eustatius, Theophilus alique Origenis censores. Quod autem referunt Hilarius, Hieronymus et Augustinus a nonnullis sua aetate negatum fuisse mysticum sensum, id non de orthodoxis scriptoribus sed de haeticis intelligendum est, ac proinde non probat mysticum sensum respuendum esse; praeter-

quamquod paucorum dissensio traditionis Ecclesiasticae robur evertere nequit. Superest aliquid dicendum de testimoniis postremo loco adductis. Auctor Recognitionum in obiecto loco nihil aliud contendit nisi sensus ad arbitrium confictos aut ex sola verosimilitudine excogitatos non esse in Scripturas inducendos. Sane ibi narratur Clementem coram Petro mentionem fecisse de allegoricis sensibus qui fabulis poetarum affingebantur, ad quae Petrus ita reponit: « Multas ut video ingeniosi homines ex his quae legunt verosimilitudinem capiunt, et ideo diligenter observandum est ut lex Dei, cum legitur, non secundum proprii ingenii intelligentiam legatur. Sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quae possunt trahi ad suum sensum, quem sibi unusquisque sponte praesumpsit; quod fieri non oportet. Non enim sensum quem extrinsecus attuleris, alienum et extraneum debes quaerere, quem ex Scripturarum auctoritate confirmes, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis. » Accedit Auctorem Recognitionum aliquas mysticas expositiones aliquando adducere ut ex. gr. lib. 1. § 46. Ad Methodium quod attinet ex eius verbis evidenter apparet eum damnare tantum eorum excessum qui mysticos sensus ubique in Scripturis invenisse sibi videbantur, et sensum literalem negligebant: « Periculo enim non vacat, inquit, *spernere semper ac transilire velle* obviam ac primo aspectu animum pulsantem sententiam Scripturae. » Idem dicendum est de testimonio Basilii, qui non mysticam expositionem Scripturae damnat, sed arbitrariam et arrogantem substitutionem conceptuum propriae mentis auctoritati divinae: « Quidam, inquit, captionibus quibusdam atque tropologis *ex suo ipsorum ingenio* aliquid Scripturis adicere auctoritatis conati sunt; verum, id ei competit, qui se ipsum Spiritus Sancti oraculis sapientiosem constituit, quique interpretationis praetextu commenta sua inducit. Itaque prout scripta sunt intelligantur. » Denique Clemens Alex. in obiecto loco non comparat mysticum Scripturae sensum cum mythologicis paganorum allegoriis sub omni respectu, sed tantummodo in eo quod commune habent ut sub symbolico velamine utrobique res occultae intelligantur; idque eo fine tradit ut paganos Philosophos ad Christianam doctrinam alliceret. Verum in § VIII. discrete affirmat propheticos typos in sola Scriptura Sacra inveniri: « Igitur, inquit, et barbarae Philosophiae (S. Scripturae),



de qua nobis propositum est dicere, occulte et per *symbola prophetare proprium est.* » Coeterum tam Methodius quam Clemens Alex. in aliis locis veros typos agnoverunt in libris V. T., et Methodius quidem in ipsa oratione III. nobis\* obiecta allegoriam agnoscit in persona Adami eiusque somno et coniugio cum Heva; Clemens autem typos etiam propheticos admittit in Lege et Prophetis in hoc ipso libro V. Stromat. § 6 et 8, ubi plures ex iis illustrat, et concludit typos et figuras usque ad Ioannem perdu- rasse, qui « eam quae a longinquo in apertum veniebat, indicando praesentiam, revera solvit finem eloquiorum de dispensatione carnis, detecta notione symbolorum. »

Quaestio 2<sup>a</sup> De *extensione* sensus mystici in V. T.

In hac quaestione duae contrariae opiniones, *figuristarum* nempe et *antifiguristarum* nobis refellendae sunt, quarum alia nimis extendit, alia nimis coarctat mysticum Scripturarum sensum, ut superius in historia huius controversiae exposuimus. Itaque media via incedentes sequentem propositionem demonstrandam assumimus.

THESIS IV.

*Sensus mysticus librorum V. T. nec ad omnia indiscriminatim loca extendendus est, neque ex alia parte ad ea tantum coarctandus, quae ab hagiographis N. T. mystice explicata fuerunt, sed in omnibus tuis et solis locis admittendus, in quibus sufficienter innotescit intentio Spiritus Sancti quasdam res vel personas assumptis ac destinantis ad aliquid aliud significandum.*

Probatur Pars I contra Figuristas.

Arg. 1<sup>a</sup> ex eo desumitur quod praefata opinio *gratuita* sit. Neque enim ex Scripturis neque ex traditione Ecclesiae, neque ex rei natura quidquid afferri potest pro exaggerata eorum sententia qui sensum mysticum ubique in sacris libris existere arbitrantur. Scimus figuristas inñiti illis generalibus formulis quae apud S. Paulum occurrunt 1. Cor. X. 11. Hebr. VIII. 5. Verum evidens est illas formulas generales esse non absolute, sed relative, et in quodam genere tantum nempe vel rituum qui circa tabernaculum fiebant (Hebr. VIII), vel factorum

quae in deserto acciderunt, de quibus tantum loquutus fuerat Paulus in principio illius capituli X. epistolae 1<sup>ae</sup> ad Corinthios: hinc non dicit absolute: *omnia* in figura contingebant illis, sed: *haec omnia*, scilicet quae antea commemoraverat. Afferunt etiam verba Christi Domini Luc. XXIV. 44: « Quoniam necesse est impleri *omnia*, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me » unde concludit Duguet in *Prooemio* citati operis de regulis intelligendi Scripturam, Christum affirmare omnia quae in sacris Libris scripta sunt ad ipsum spectare et eum repraesentare. Sed undenam haec conclusio? Non enim dixit Christus *omnia* de eo scripta esse, sed *omnia quae* de eo scripta sunt adimpleri oportere, quod valde diversum est. Idem dicendum est de alio testimonio quod ibidem adducitur ex v. 27 eiusdem capituli ubi dicitur Christum duobus discipulis exposuisse in *omnibus Scripturis quae de ipso erant*. Non enim indicatur quanam et quot fuerint haec loca a Christo explicata, et utrum mystica fuerint, an vero literalia, ut de plerisque credendum est. Et haec quidem de argumentis ex Scriptura desumptis. Ex traditione vero pauca tantum testimonia adversarii afferre possunt illorum qui in allegoricis expositiones nimis proclives fuerunt, universa vero traditio tantum abest quominus iis faveat, ut contrarium prorsus ex ea demonstretur, ut mox videbimus. Denique ex rei natura confirmari non potest opinio, de qua loquimur; licet enim multa occurrant in Sacris Libris quae evidentem et certam praeserunt similitudinem cum aliis rebus praesertim futuris, multo tamen plura reperiuntur loca in quibus nihil huiusmodi observatur, et quibus mystica significatio non nisi arbitrario ac per vim obtrudi posset.

Arg. 2<sup>a</sup> ex *traditione* et sensu Ecclesiae.

Qua in re distinguenda est opinio paucorum a vero sensu traditionali Ecclesiae. Non negamus aliquos fuisse inter Ecclesiae Doctores, qui adversariorum opinionem sive verbis sive sua agendi ratione probaverint: verum maior ac sanior Patrum et Doctorum pars ab huiusmodi excessu alieni prorsus fuerunt, nec omiserunt pro data occasione illum reprehendere, praesertim in Origene eiusque asseclis. Testimonia eorum qui Origenis methodum allegoricam reprobarunt alias a nobis recitata sunt. Hic sufficiat pauca



addere in quibus Patres diserte negant mysticum sensum ubique inventiri in V. T. Ita Tertullianus in libro de resurrectione carnis Cap. 20 affirmat: « Non omnia esse imagines, sed et veritates, non omnia umbras, sed et corpora » unde postea concludit: « Plures voces prophetarum nude et simplices, et ab omni allegoriae nubo purae, defendi possunt; ut cum exitus gentium et urbiū resonant, Tyri et Aegypti, et Babylonis et Idumaeae et Carthaginiensium navium; ut cum ipsius Israelis plagas aut venias, captivitates, restitutiones, ultimaeque dispersionis exitum perorant. Quis haec interpretabitur magis quam recognoscat? Res in literis tenentur ut literae in rebus legantur. » S. Epiphanius in haer. XXXIII. § 9 de libris Moysis loquens scribit: « Moyses. . . . ubique decernere solet, partim quae temporibus congruunt, partim quae certis rebus adumbrandis servantur, partim quibus futura bona declarantur, quae in Evangelio demum adventu suo Christus Iesus Dominus Noster implevit » ubi umbras seu typos ad partem tantum rerum a Moyse descriptarum restringit. S. Methodii, et S. Basilii testimonia superius adduximus in responsione ad quintam objectionem. S. Hieronymus quem figuristae in suam sententiam trahere vellent ita scribit in Com. in Os. XI: « Qui ex parte typhi fuerunt domini Salvatoris, non omnia quae fecisse narrantur in typo eius fecisse credendi sunt. » Non minus expressa est sententia S. Augustini qui de Civ. Dei Lib. XVI. Cap. 2: « Non sane omnia, inquit, quae gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt; sed propter illa, quae aliquid significant, etiam ea quae nihil significant adtexuntur. » Quod etiam in aliis locis repetit et imprimis in alio testimonio eiusdem operis de Civ. Dei Lib. XVII. Cap. 3. ubi scribit: « Mihi quidem sicut multum videntur errare qui nullas res gestas in eo genere literarum (S. Scripturis) aliquid aliud praeter id quod eo modo gesta sunt significare arbitrantur, ita multum audere qui prorsus omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt. » Quid quod ipse Origenes quamvis ultra modum allegoriis delectatus, quosdam tamen limites eis adsignat in variis locis, ac imprimis in Hom. XI. in Num. § 2 inquit: « Igitur ex his, quae protulimus, paucis, si qui studiosi sunt in Scripturis divinis perfacile colligere poterunt etiam ceterarum distinctiones. Sapiens enim si audiat, inquit (Prov. I, 5), verbum, non solum laudabit, sed et adiciet ad il-

lud. Quid adiciet? Ut discutiatur, et discernatur in singulis quibusque capitulis Legis, ubi fugienda sit Legis litera (intellige proprium verborum sensum), ubi amplectenda, ubi etiam narratio historiae cum mystica expositione conveniat » ergo non semper haec simul conveniunt.

Accedit S. Gregorius M. qui de libro Iob scribit: « Sic vitae suae historiam texens (Iob), ut ei perrarum aliquid, quod allegorice intelligi possit, interserat, quatenus et ex magna parte historica sint quae memorat, et tamen aliquando per haec eadem ad spirituales intelligentiam consurgat » Moral. Lib. XXI. c. 1.

Non alia fuit Scholasticorum Doctorum sententia, qui licet varios sensus literales et spirituales in Sacris Scripturis distinguerent non tamen existimarent eos simul in omnibus Scripturae locis inveniri. « Quatuor isti sensus, ait S. Thomas, non attribuntur Sacrae Scripturae, ut in qualibet eius parte sit in istis quatuor sensibus exponenda, sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantum. » Quodlib. VII. art. XV. ad 3.

Afferuntur a figuristis quaedam Patrum testimonia, imprimis Augustini et Hieronymi, quae eorum sententiae favere videntur, sed inspecto contextu locorum, et scopo sermonis minime eis patrocinantur. Augustini verba haec sunt in lib. III. de Doctr. Christ. c. 22: « Omnia vel poene omnia, quae in V. T. libris gesta continentur, non solum proprie, sed etiam figurate (idest mystice) accipienda sunt. » Verum haec non adeo stricte accipienda esse docent alia eiusdem S. Doctoris loca superius adducta ubi debitos limites adsignat mystico sensui; quare hic omnia vel poene omnia accipiendum est latiori sensu, seu, ut aiunt, de generibus singulorum, non de singulis generum, quatenus ex omni genere factorum, et ex omnibus periodis historiae V. T. et ex omnibus classibus hominum aut rerum quae ibidem commemorantur aliquot occurrant quibus sensus mysticos subesse dicendus est. Hieronymi verba leguntur praecipue in epist. 129 ad Dardanum § 6 ubi ait: « Perspicue demonstratur, omnia illius populi in umbra, et typo et imagine praecessisse, » et in Prologo Comm. in Isaiam ubi affirmat: « Post historiae veritatem spiritualiter accipienda sunt omnia. » Verum impossibile est Hieronymum id sibi velle quod



adversarii contendunt, cum in aliis locis tam discrete affirmet, et contendat *non omnia* facta quae acciderunt in V. T. typica fuisse, ut supra vidimus. Itaque obiecta verba vel hyperbolice accipienda sunt, vel eo sensu quo diximus intelligendum esse simile Augustini dictum.

Arg. 3 desumitur ab inconvenientibus.

1° Opinio de qua loquimur Scripturae expositionem ineptam reddit, et poene ridendam. Si enim interpreti semel persuasum fuerit sub omnibus vel plerisque Scripturae locis latere sensum aliquem mysticum, cum re ipsa in magna locorum parte nullum huiusmodi sensus vestigium occurrat, ingenium suum torquet, similitudines a longe petitas captabit, imagoationis vires contendet ut aliquid huiusmodi proferat, atque ita demum interpretationes in medium adducet violentas ac improbabilis. Huius rei exempla abunde suppeditant commentarii eorum qui in praefata sententia fuerunt.

2° Alterum inconveniens quod ex priore dimanat hoc est, quod huiusmodi Scripturas interpretandi modus causae fidei noceat quam plurimum. Siquidem haeretici atque increduli homines cum videant a nostris theologis ita inepte aliquando exponi Scripturas ansam sumunt Catholicam interpretationem contemnendi, ipsamque fidem tamquam arbitrariis hisce humani ingenii figmentis innixam irridendi. Exemplo sit alias citatus Sal. Glassius qui in sua Philologia sacra praesertim Lib. II. part. I. Tract. II. Pontificiorum (Catholicorum) interpretationes etiam dogmaticas in genere carpit atque irridet, adductis in medium exemplis quorum nonnulla revera laudanda non sunt. Debuisset ille quidem animadvertere aliud esse vitium paucorum, aliud vero communem et probatam apud omnes Catholicos interpretationis methodum; oportebat etiam scire Ecclesiam non huiusmodi privatorum hominum opinionibus, sed constanti traditioni et fidei analogiae innixam sub Spiritus Sancti regimine et adstantia Scripturas exponere, et ex iis sua dogmata confirmare. Haec, inquam, animadvertenda fuissent, sed tamen negari non potest per huiusmodi excessum mysticae expositionis his aliisque adversariorum diatribis occasionem atque ansam praebere.

Probatur Pars II. adversus Anti-figuristas.

Horum sententia ut supra diximus, est haec: sensum mysticum

in iis tantum partibus V. T. admittendum esse in quibus Hagiographi N. T. eum admittendum esse docuerunt, extra autem haec loca sensum mysticum quaerere periculosum esse et temerarium. Huic tamen sententiae subscribere nullatenus possumus; eamque reiiciendam putamus ob sequentes rationes:

Arg. 1° Ad praefatam Leonardi sententiam suadendam oportet demonstrare Hagiographos N. T. voluisse omnia omnino loca mystica quae in V. T. occurrunt in suis scriptis exponere, et totum, ut ita dicam, thesaurum veterum figurarum exhaurire, ita ut quidquid ab eis mystice explicatum non est eo ipso certum sit ad mysticum sensum non pertinere. Sed nunquam demonstrant adversarii hoc consilium Hagiographos N. T. sibi in scribendo proposuisse. Quinimo contrarium apparet tum ex indole et scopo ipsorum librorum N. T. tum ex ipsorum hagiographorum confessione. Interpretatio enim Scripturarum non fuit primarius scopus Auctorum N. T. sed dumtaxat aliqua Scripturarum loca pro data occasione exposuerunt ad illustranda et confirmanda ea de quibus singuli scribebant. Ipsi autem Hagiographi non obscure hoc insinuant cum ex una parte generatim affirmant legem Veterem fuisse umbram futurorum, ex alia vero parte cum in specie loca Scripturarum interpretantur, paucas tamen res, et paucas sententias mystico sensu exponunt: hoc ipso ostendentes multo plura mystica et allegorica in Sacris Libris V. T. latere, quae ipsi expresse declarare noluerunt. Nec dicant adversarii cum Leonardo (*Réfutation des règles* etc. pag. 22 seq. 46, 66, 324 etc.) saltem temerarium et periculosum esse typos quaerere, ubi Hagiographi illos non designarunt. Id enim verum esset si unicum medium ad discernendos typos in Scripturis latentes esset Hagiographorum testimonium: sed hoc admitti non potest, ut patet ex dictis in Thesi III. Nulla igitur temeritatis nota ei affingenda est qui praeter typos et figuras ab Hagiographis N. T. designatas, alias quoque in Sacris Literis admittat, et exponat, dummodo sobrie hoc faciat, et certa aliqua vel probabili ratione ductus.

Arg. 2° desumi potest ex sensu, et praxi Ecclesiae, et Patrum. Si enim non licet quaerere mysticos sensus extra ea loca quae in N. T. Libris explicata inveniuntur id certe Ecclesia et Patres non ignorassent. Atqui ipsi nunquam se putarunt hac lege adstrictos. Nam Ec-



clesia in sacra liturgia, et Patres in suis scriptis, etiam dogmaticis, saepe etiam extra loca superiora nominata mysticos sensus admittunt, et admittendos esse docent.

Ab extremis igitur cavendam: et mystica scripturarum interpretatio nec omnino limitibus carere, nec intra limites nimis angustos contineri censenda est.

Sed dicit fortasse quispiam haec nimis vaga et indeterminata esse; nam huc usque nihil egimus nisi limites a nonnullis peperam assignatos mystico Scripturarum sensui excludere, nondum vero diximus quinam veri limites sint, seu quousque revera extendatur mysticus sensus.

Pars III. De criteriis ad mysticos Scripturae sensus inveniendos et demonstrandos. Licet haec satis innotescant ex dictis in praecedente Thesi, praestabit tamen hic brevier de iis disserere, praesertim cum saepius citatus Bauer multis suadere conetur nullum criterium assignari posse quo verus mysticus Scripturae sensus a figmentis imaginationis discernatur et ex hoc concludat, omnem mysticam interpretationem utpote incertam et solido fundamento destitutam repudiandam esse.

Generale principium fundamenti loco habendum hoc est: *Sensum mysticum in iis omnibus et solis locis V. T. admittendum esse ubi sufficienter constat de intentione Spiritus S. quasdam res vel personas destinantis ad alias res vel personas significandas.*

Huius principii veritas ex eo patet quod mystica seu typica quarundam rerum significatio ex intentione Spiritus Sancti qui est principalis Scripturae Auctor unice pendeat, quae proinde si innotescat erit sensus mysticus admittendus, secus erit relinquendus utpote fundamento carens.

Quo posito principio ulterius animadvertimus intentionem illam divini Scripturarum auctoris variis modis nobis innotescere posse, unde totidem speciales regulae deduci possunt ad sensum mysticum detegendum et ostendendum. Tres autem modi distingui possunt quibus intentio Spiritus S. declaratur scilicet vel per manifestationem ab eo factam in ipsis Sacris Scripturis, vel per Ecclesiae traditionem et sensum quae manifestationem aliquando factam ab ipso Spiritu conservat, vel denique per ipsam rerum attentam considerationem et comparisonem. Dicamus pauca de singulis.

Regula 1.<sup>a</sup> *Sensus mysticus in iis omnibus locis admittendus est, in quibus aliquis ex Agiographis vel explicitè vel implicitè eum adesse significavit.*

Veritas regulae evidens est, cum hic habeamus declarationem authenticam seu ipsius auctoris de cuius sensu seu mente quaeritur. Recolendum tamen est, quod alias animadvertimus (Thes. III. ad obi. 2.) non esse typorum manifestationem quaerendam in ipsis locis, vel apud ipsos Agiographos qui typos descripserunt, sed plerumque apud alios, et maxime apud Auctores N. T. Recolenda etiam sunt quae in eadem Thesi exposuimus de variis modis quibus Agiographi *implicitè* designant mysticam quorundam locorum sensum, unde possent totidem magis speciales et practicae regulae depromi sub hac generali regula comprehensae. Sed sufficiat haec in mentem revocasse ne dicta inutiliter repetamus.

Regula 2.<sup>a</sup> *Ibi est admittendus sensus mysticus ubi constans et certa Ecclesiae traditio mysticum sensum agnoscit.*

Scilicet, iuxta principia Catholica, Ecclesiae vivum magisterium et traditio est aliter veluti canalis, per quem divina revelatio conservata, et transmissa est. Scimus autem Christum et Apostolos solitos fuisse Scripturarum sensum explicare, nec omnes huiusmodi interpretationes in libris N. T. consignatas fuisse. Si igitur Ecclesiae traditio constans appareat in alicuius loci mystica expositione proponenda, etiamsi haec ab Agiographis N. T. indicata non fuerit, habenda erit tamquam vera et authentica illius loci expositio.

Duae praecedentes regulae fundantur in positiva declaratione ab ipso Auctore facta, ideoque nullam difficultatem involvunt. Verum diximus Spiritus S. mentem innotescere etiam posse ex ipsarum rerum consideratione. Quamvis hoc verum sit, maiori tamen cautela opus est in huiusmodi tertiū criteriū applicatione, nec eadem est semper certitudo vel firmitas conclusionis quae exinde deducitur. Praestabit igitur quaedam de hoc criterio magis specialiter animadvertere, et plures distinctas regulas tradere.

Regula 3.<sup>a</sup> *Ibi admittendus est sensus mysticus ubi describuntur actiones quaedam a viro gravi et prudenti positae, quae nisi mysticam haberent significationem prorsus sensu vacuae, ineptae, aut ridiculae forent.*

Exemplo sint quas alias commemoravimus actiones Oseeae,  
Vol. III. Introductio Exegetica. 7



Ieremiae, Ezechielis, aliorumque prophetarum: quibus addi potest ex N. T. factum Christi Domini maledicentis ficulneae Mat. XXI, Mr. XI, de quo dicemus in Thesi sequente.

Regula 4.<sup>a</sup> *Si aliunde constet aliquam rerum vel personarum classem generatim typicam significationem gessisse, iure possumus specialem typum in aliquo determinato individuo eiusdem classis agnoscere, quoties certa et obvia appareat convenientia inter rem illam vel personam, et aliam determinatam rem vel personam N. T.*

Ita ex. gr. scimus ex Paulo Mosaicorum rituum apparatus universim sumptum fuisse umbram et exemplar futurorum, seu mysteriorum Novae Legis; si igitur inveniamus obviam convenientiam inter specialem quendam ritum ex. gr. sacrificium capri emisarii, et speciale aliquod N. L. mysterium, puta satisfactoriam Christi mortem, merito possumus affirmare hoc per illud typice repraesentatum fuisse.

Regula 5.<sup>a</sup> *Item si aliunde certum sit aliquam rem, vel personam V. T. typum fuisse alterius rei vel personae in N. T. futurae, possumus specialem aliquam mysticam significationem persequi in determinata aliqua circumstantia illius rei, vel in quadam actione illius personae, si haec specialem aliquam cum futuris eventibus convenientiam praeseferat.*

Ita ex. gr. scimus agnum Paschalem figuram fuisse Christi, eiusque sacrificii. Hoc posito, nonne possumus speciali alicui circumstantiae illius ritus, puta quod agnus esset assandus, quod esset totus intra eandem domum comedendus, quod adhibendae essent lactucae agrestes etc. specialem significationem tribuere, etiamsi Scriptura eam non declaraverit? Ita etiam scimus David regem fuisse figuram Redemptoris. Hoc quidem non de omnibus gestis aut eventibus Davidis intelligendum est: verum ubi obvia et clara occurrit convenientia cum Christi Domini gestis id merito facere possumus. Quis ex. gr. nos reprehendat si in David ab inimicis et ab ipso filio Absalome vexato, opprobriis affecto, ab omnibus derelicto agnoscamus typum Christi patientis? vel si in occisione gigantis Goliath videamus adumbratam Christi redemptoris victoriam super infernum hostem? Quis etiam nos redarguat si in historia regis Salomonis (3<sup>o</sup> Regum), quem aliunde scimus figuram Christi gessisse, adumbrata dixerimus specialia quaedam Christi mysteria, puta in

magnificentia et divitiis illius regis (3 Reg. IV, X) spirituales Christi regni divitias? Similia exempla in aliis rebus vel personis V. T. passim occurrunt. Quoniam tamen in usu harum duarum regularum, quas postremo loco posuimus, posset quis modum excedere, operae pretium erit aliqua monita subicere quibus interpres practicae dirigatur in mystica Scripturarum significatione ex hoc fonte dignoscenda, et exponenda. Et 1<sup>o</sup>) quidem in utraque regula consulto posuimus hanc conditionem, ut aliunde nota sit mystica significatio generica vel rei, vel rerum classis de qua agitur. Quod quidem multo prudentius est, quam si in sola rerum convenientia initeremur. In nostra enim hypothese cum ex una parte habeamus fundamentum generale in Scriptura vel Traditione, ex alia vero parte fundamentum speciale pro hac vel illa re, sive circumstantia, vel actione, in ipsa rerum consonantia, tutius procedere possumus ad illius mysticam expositionem.

2<sup>o</sup>) Applicatio haec mystici sensus in iis potius eventibus, vel rebus facienda est quae a speciali aliqua Dei ordinatione pendent; tunc enim cum casui tribui non possint certius habetur argumentum de Spiritu Sancti intentione rem illam destinantis ad aliquid aliud significandum. 3<sup>o</sup>) Mysticae huiusmodi expositiones non sunt nimis urgendae, et in subtilibus quibuscumque adiunctis persequendae, sed in praecipuis tantum et ubi praefata convenientia et consonantia clara est, et ultro se considerantibus offert. Ita, ut in exemplis superius adductis insistamus, possumus quidem in victoria a Davide de Goliath relata typum agnoscere Christi triumphum de diabolo agentis, ita ut David Christum ipsum repraesentet, Goliath et exercitus Philistinorum diabolum aliosque spirituales hostes animarum, modus etiam quo David sine gladio et hasta terribilem adversarium devicit rationem adumbret qua Christus Dominus in infirmitate nostrae carnis constitutus, et absque saeculari potentia et pompa principem huius mundi eiecit foras. Sed hic sistendum est, nec curiosius inquirendum quid ex. gr. significet altitudo sex cubitorum et palmi quae giganti tribuitur, quid eius hasta, clypeus, cassis aerea, aliaque descripta Reg. XVII. 4-7 quam figuram gereret armiger qui hominem praecedebat ih. v. 41 et alia similia: si quis vellet ad haec minuta urgere mysticam expositionem debitos limites excederet, et interpretationes traderet.



solido fundamento destituta. Et haec quidem satis sint de sensu mystico Librorum V. T. eiusque extensione ac limitibus.

*Quaestio 3.* De sensu mystico in libris N. T.

In hac quaestione, ut superius innuimus, dissentiunt ipsi Catholici et orthodoxi scriptores, quorum nonnulli negant sensum mysticum in libris N. T. existere (1), alii vero affirmant, licet fateantur rariorem esse quam in V. T. et haec est sententia communior, quae etiam S. Thomae suffragio gloriatur. Nobis tota quaestio videtur praecipue ex vocabulorum et notionum aequivocatione pendere. Scilicet si per sensum mysticum speciatim intelligatur sensus ille qui prophetiam continet de Christo eiusque Ecclesia, quem *allegoricum* vocari diximus, ulro fateamur hunc sensum in libris N. T. non inveniri, qui post Christi adventum et completum opus Redemptionis conscripti fuerunt. Neque aliud demonstrant argumenta quae P. Patritius aliique adducunt pro sententia negante eo ex quod Vetus Lex esset umbra, Nova autem ipsa veritas, quod in Christo omnes figurae impletae fuerint et alia huiusmodi, quae, uti patet, ad allegorias seu sensus propheticos-allegoricos excludendos dumtaxat pertinent. Verum allegoria non est unica species mystici sensus; remanent enim aliae figurae seu *morales*, seu *anagogicae* seu *commemorative* aut etiam *simpliciter propheticae*, quas etiam in oeconomia N. T. ideoque in Libris N. T. qui haec oeconomiam referunt contineri nobis certum omnino est, licet fateamur in hisce Libris non adeo frequenter hosce sensus occurrere ac in Scripturis V. T. ob diversum scilicet utriusque Instrumenti characterem et finem.

Ad hoc probandum constituimus sequentem propositionem

#### THESIS V.

*Sensus mysticus saltem commemorativus, tropologicus et anagogicus etiam in Libris Novi Testamenti admittendus est.*

Arg. I. Ab exemplis et testimoniis ex ipsis libris N. T. depromptis confici potest. Sane plura occurrunt in N. T. exempla rerum quae mysticam aliquam significationem continent. Ita imprimis

(1) Ita inter recentiores P. Patritius in saepius laudato opere *De interpretatione S. S. Lib. 1. cap. XI. quaest. 3 et cap. XIV. q. 3.*

nonnulla ex Sacramentis a Christo Domino instituta praeter necessariam et essentialem significationem gratiae quam producent, et cuius signa sunt, aliquid aliud ulterius significant ipsis omnino extrinsecum, et diversum: idque omnino tenendum est ex ipsorum Agiographorum testimonio. Sane ritus baptismi (Mat. XXVIII. lo. III.) praeter internam animae mundationem quae eius effectus est, significat etiam Christi sepulturam, et resurrectionem, docente Paulo Rom. VI, 3, Col. II, 12, et Petro I Pet. III, 21: item Eucharistiae Sacramentum praeter spiritualem refectionem, significat etiam Christi passionem et mortem, dicente Christo: *hoc facite in meam commemorationem*, quod Apostolus clarius exponit I Cor. XI, 26 inquiens: « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat: » iterum vero Eucharistia etiam unitatem Ecclesiae significat ut Paulus indicat in eadem Epistola c. X, v. 16 seq. quam alteram significationem SS. Ecclesiae Patres in eo potissimum reponunt, quod sicut panis et vinum in quibus Eucharistiae sacramentum conficitur sunt aliquid unum ex multis (nempe granis, et uvae acinis) conflatum *ita nos unum corpus multi sumus in Christo*. Matrimonium quoque iuxta Paulum Ephes. V mystice adumbrat spirituale connubium Christi cum Ecclesia, et sub hoc respectu ab eo vocatur *μυστήριον*. Porro istae omnes significationes, si proprie loqui velimus, quid aliud sunt nisi totidem mystici sensus commemorativi, vel morales?

Accedunt nonnulla facta in Evangelio narrata quibus mystica significatio subesse omnino videtur. Ita superius memorata narratio de Christo maledicentiae ficulneae infructuosae, quae illico arefacta est (Mat. XXI. Mar. XI), haec, inquam, actio certe mysticam significationem habebat, et quidem prophetica de proxime futura synagogae abolitione et Iudaeorum reprobatione. Hoc enim imprimis insinuat ipsa actionis natura iuxta Regulam 3<sup>am</sup> in superiori Thesi propositam; seposita enim hac mystica significatione, actio illa inexplicabilis esset, et Christi sapientiae ac benignitati repugnans: cur enim debuisset maledictione percuti arbor illa propter sterilitatem, quae vitiosa non erat, cum non esset tunc tempus ferendi fructus, ut expresse monet Evangelista (Mr. XI, 13)? Sed praeterea subsequens Christi agendi et loquendi ratio non obscure insinuat quid per illam actionem adumbrare voluisset: statim enim ingres-



sus in templum coepit sacerdotes et seniores redarguere, narrans eis parabolam de duobus filiis obediente, et inobediente, itemque aliam de patrefamilias, qui tempore fructuum misit ad eos recipiendos primum servos, postea ipsum filium, quos omnes agricolae percusserunt vel occiderunt, negatis fructibus; quare ipsi auditores a Christo interrogati, quid cum iis patrifamilias agendum esset, responderunt: malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis qui reddant ei fructum temporibus suis; quam sententiam Christus in eos retorquet dicens: *ideo dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius* (Mat. XXI, 23-43). En quid portendebat maledictio et arefactio ficulneae absque fructibus repertae. Item navicula Simonis Petri in qua Christus turbas docebat (Luc. V. 2 seqq.) Ecclesiam figurabat in cuius medio Christus est continua praesentia et adstantia, dum a Petro eiusque successoribus visibiliter gubernatur, ut passim explicant Patres, inter ceteros Ambrosius in Lib. IV in Luc. cap. V. Item prodigiosa Apostolorum piscatio Io. XXI, et alia quaedam Christi miracula de quibus infra.

Accedit propheta de excidio Hierosolymae Mat. XXIV, in qua Christus ita coniungit et commiscet ea quae ad hoc excidium pertinebant cum iis quae in fine mundi eventura sunt, ut non obscure indicet primum illum eventum alterius figuram et imaginem fuisse.

Arg. 2<sup>um</sup> desumitur ex Patrum sensu ac testimonio. Patres enim, quemadmodum etiam scholastici Doctores et catholici interpretes, cum de mystico Scripturarum sensu loquuntur nunquam affirmant eum ad solum V. T. coarctandam esse, sed etiam in Libris N. T. illum existere arbitrati sunt, ut ipse P. Patritius fateri cogitur (in cit. op. §. 379).

Sane imprimis quaedam testimonia Patrum a nobis in Thesi III recitata, ut Chrysostomi, Augustini, Gregorii M. ita generalia sunt ut ad universam Scripturam referantur, nec ullo iure possint ad solum V. T. coarctari. His addi potest disertum Augustini testimonium qui in Tract. 44 in Iohannem exponens historiam coeci a nativitate a Christo illuminati (Io. IX) ita scribit: « Ea quae fecit Dominus noster Iesus Christus stupenda ac miranda et opera et *verba* sunt: opera quia facta sunt, verba quia *signa* sunt: si ergo quid significet hoc quod factum est cogitemus, genus huma-

num est iste coecus » etc. et persequitur mystice explicans praecipuas circumstantias illius historiae. Eadem fere habet in Tract. 24 in Iohan. exponens prodigium multiplicationis panum narratum Io. VI: « Nec tamen sufficit, inquit, haec intneri in miraculis Christi. Interrogemus ipsa miracula quid nobis loquantur de Christo: habent enim si intelligantur linguam suam: nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est. » Eadem est sententia S. Gregorii M. qui in hom. 2. in Evang. loquens de miraculo quo Christus coeco visum restituit prope urbem Iericho (Luc. XVIII) ait: « Sed miracula Domini et Salvatoris nostri sic accipienda sunt, fratres charissimi, ut et in veritate credantur facta, et tamen per *significationem* nobis aliquid innuant. Opera quippe eius et per potentiam aliud ostendunt, et per *mysterium aliud loquuntur*. Ecce enim quis iuxta historiam coecus iste fuerit ignoramus: sed tamen *quid per mysterium significet novimus*. Coecum quippe est genus humanum etc. » Praeterea multi Ecclesiae Patres etiam quando in genere non affirmant in narrationibus N. T. sensum mysticum contineri, reipsa tamen quaedam facta mystice exponunt, et exponenda esse dicunt. Ita in maledictione ficulneae typum agnoscunt Augustinus, Ambrosius, Gregorius M.; in duplici Petri piscatione figuram duplicis status Ecclesiae militantis et triumphantis exponunt Ambrosius L. IV. in Lucam, Augustinus Brevic. Collat. cum Donatistis, alique; Ven. Beda Comm. in Luc. XI. mulierem illam quae de turba Christo acclamavit Ecclesiam repraesentasse dicit: *cuius haec mulier typum gessit*. Idem dicas de aliis quibusdam Evangelicis narrationibus. Nec iuvat dicere, quemadmodum ait P. Patritius l. cit. §. 340, facta haec *tamquam typos haberi ab aliquo ex Patribus, ita ut peculiaris illius sententia ista fuerit, non vero Patribus communis*: nam imprimis hic non tam agimus de hoc vel illo speciali typo quam de generali quaestione utrum Libris etiam N. T. subsit aliquando mysticus sensus, quod quidem Patribus illis persuasum fuisse, ipsa eorum agendi et loquendi ratio omnino supponere videtur etiamsi de aliqua peculiari applicatione et exemplo dabitari possit; deinde vero nonnullae ex illis narrationibus non ab uno vel altero, sed a pluribus Patribus et passim expositae inveniuntur in sensu mystico. Ita ex. gr. mystica significatio naviculae Petri (Luc. V, Io. XXI.)



ita communis est, ut nihil magis obivium ac tritum apud sanctos Ecclesiae Patres et in sensu fidelium inveniri possit. Et haec quidem de sententia SS. Patrum. Accedit Doctorum scholasticorum, et veterum Theologorum opinio. Quoties enim de mystico Scripturarum sensu pertractant nullam faciunt distinctionem inter Vetus et Novum Testamentum, multo minus dicunt ab hoc sensum mysticum excludendum esse. Quinimo Angelicus Doctor generalem quamdam rationem exhibet, qua suadet sensum mysticum saltem anagogicum, et moralem in N. T. contineri, quia nempe Lex Nova figura est futurae gloriae coelestis et Christi gesta ac mysteria moralem sensum habent: « Sicut enim dicit Apostolus ad Hebraeos septimo, Lex Vetus figura est novae Legis; et ipsa nova Lex, ut dicit Dionysius in Eccles. Hier. est figura futurae gloriae. In nova etiam Lege ea quae in capite sunt gesta sunt signa eorum, quae agere debemus. Secundum quod ea quae sunt Veteris Legis significant ea, quae sunt Novae Legis est sensus allegoricus; secundum vero quod ea quae in Christo sunt facta, vel in his, quae Christum significant, sunt signa eorum quae agere debemus est sensus *moralis*; prout vero significant ea quae sunt in aeterna gloria, est sensus *anagogicus* » (Summae P. 1 q. 1. a. 10 Corp.).

Quae obicit solent adversus nostram Thesim non sunt magni momenti, et plerumque in acquivocatione versantur.

Quod enim 1<sup>o</sup> obicitur ex diverso caractere utriusque Testamenti, et ex eo quod Vetus Testamentum dicatur et sit *umbra*, Novum autem ipsa *veritas*, nihil aliud evincit nisi quod in N. T. non sint admittendae illae ipsae figurae, quae in V. T. existebant, sed potius earum implementum, seu earum anlypti: exinde vero minime sequitur Libros N. T. omnibus omnino figuris carere. Seu aliis verbis Nova Lex est veritas inquantum opponitur umbrae non absolute, sed *relativae* ad umbras seu figuras quae in V. T. praecesserant.

2<sup>o</sup> Testimonia Patrum quae afferuntur a Patritio (Lib. 1 cap. XI. q. III. §. 338) eodem modo intelligenda sunt, scilicet de praefata relatione inter duo Testamenta, non autem absolute de exclusione cuiuslibet sensus mystici a N. T. ut ex simplici lectione illorum locorum manifestum fit. Et mirum est a Cl. auctore

produci testimonia Origenis, et Augustini, qui in aliis locis tam aperte docuerunt multos mysticos sensus in N. T. existere.

Ceterum laudati auctoris sententia, collatis simul iis quae habet in loc. cit. cum iis quae postea disserit c. XIV. quaest. III. ita temperata est, ut (magna saltem ex parte) potius verbis quam re a nostra sententia differat. Ait enim in Evangelii typos quosdam admitti posse in iis quae acciderunt ante Christi mortem, vel saltem ante adventum Spiritus Sancti, sed hosce ad Vetus Testamentum pertinere, quia Novum nondum confirmatum erat (§ 335), ideoque quaestionem de sensu mystico Librorum N. T. non esse instituendam de Evangelii, sed potius de reliquis libris (§ 377, 379). Nobis visum est quaestionem absque istis subtilitatibus proponere, ut vulgo proponi solet (non excluso ipso P. Patritio § 377) *utrum scilicet sensus mysticus inveniatur in Libris seu Scripturis N. T. a quibus non possunt separari Evangelia, quae praecipuum eorum partem constituunt. Quamvis, etiamsi quaestio ad reliquos tantum Libros coarctetur, non putamus demonstrari posse eos omni prorsus mystico sensu carere, ut ex dictis apparet.*

#### CAPUT IV.

##### DE SENSU ACCOMMODATO

Quae huc usque disputata sunt de sensibus Scripturae per se sufficerent: nam praeter sensum literalem, et mysticum nullus alius est aut cogitari potest in Sacris Libris. Verum solent aliquando interpretes et concionatores alios quosdam sensus Scripturae affingere, quos sacer auctor, aut Spiritus Sanctus neque verbis, neque rebus proprie significare voluit, et tamen sententis S. Scripturis apte convenire possunt, et hac ratione, quamvis improprie, Scripturae sensus dici possunt. De hac ratione Scripturas exponendi pauca nunc dicenda sunt ad complendam generalem tractationem de variis sensibus S. Scripturae. Praedictus modus exponendi Sacras Literas vocari solet vel *accommodatio aesthetica*, et ipse sensus ita e scripturis derivatus dici solet *sensus accommodatus, vel accommodatitius*, quamvis alii alias quoque voces ad eum designandum